



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

600. An dare possit licentiam Episcopo extero exercendi pontificalia, & in  
specie conferendi Ordines.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)



Publico Pignat. num. 8. Proinde jam, cum Vicarius Capituli sit persona publica, publicam & ordinariam exercens jurisdictionem, in ordinationibus suis, & scripturis publicis uti debet sigillo publico, quod gerit ratione hujus officii sui. Cumque ex altera parte sit locum tenens Capituli nomine illius exercens jurisdictionem, uti tenetur sigillo Capituli, exemplo aliorum locorum tenentium juxta praxin ordinariam, & ut de locum tenente Auditoris Camera Apostolicae notat Mandos. apud Pignat. num. 9. Et sicut sigillum Episcopi tantquam authenticum præbet authoritatem ipso Episcopo vivente juxta decis. Rotæ 1. de probat. in nov. & in Civitatens. Archipresb. 26. Novemb. 1659. apud Pignat. cit. num. 9. ita etiam ad authoritatem literis actibusque publicis tribuendam sede vacante requiritur sigillum ecclesie vacantis, sive Capituli, quod fungitur vice & munere Episcopi.

2. Contrarium, nimirum quod uti possit sigillo proprio, censet Pignat. loco cit. num. 10. de Vicario Capitulari constituto autoritate Apostolica; datque hujus rationem hisce verbis: siquidem hujusmodi Vicarius non ex suo nomine utitur proprio sigillo, ac titulo Vicarii Apostolici; sed ex decreto Congregationis autoritate Pontificia confirmato; ideoque, ne inanis reddatur Vicario facultas S. Congregationis, dicendum est, quod ea velit eum uti posse omnibus prærogativis hujusmodi Vicariis à S. Congregatione concedi solitis, inter quas procul dubio est usus proprii sigilli ad instar Præsulum; cum omnia possint isti Vicarii, omnesque prærogativas consequantur, quas ipsi Præsules, juxta quod de Vicario Episcopi autoritate Apostolica constituto tradit Sbroz. lib. 2. quæst. 64. num. 6.

3. Secus tamen iterum, nempe quod uti possit sigillo proprio, tradit Pignat. loco cit. num. 12. de Vicario Capitulari autoritate Apostolica confirmato tantum.

*Quæstio 600. Num Vicarius Capitularis dare possit Episcopo extero licentiam exercendi Pontificalia, & in specie conferendi Ordines in ecclesia vacante, & diocesi Capitulo subjecta?*

1. **R** Esp. Affirmativè. Sbroz. lib. 2. quæst. 12. num. 2. Ventrigl. tom. 2. annotat. 15. §. 2. num. 51. juxta tamen limitationes, & extensiones traditas supra, ubi examinatum, qualem hac in parte potestatem habeat Capitulum sede vacante. Non tamen ad concedendam hanc licentiam videtur Vicarius Capitularis egere commissione speciali Capituli, sicut in Vicario Episcopi, eo quod ad dandam hanc licentiam Episcopo extero requiritur juxta Sbroz. loco cit. num. 1. ubi, quod Episcopus dare possit suo Vicario specialem authoritatem committendi alicui Episcopo ea, quæ sunt ordinis Episcopalis. Pro quo citat plures. Dispar enim in hoc est ratio, dum datur dicta licentia vivente proprio Episcopo, & dum datur eo defuncto ab exercente jurisdictionem ordinariam Episcopalem, & sic exigente recta administratione diæceseos.

P. Leurenii Tract. III. Capit. sed. vac.

2. Poterit quoque Vicarius Capitularis, si est Episcopus, ipse exercere Pontificalia in ecclesia vacante, v. g. Ordines conferre, chrisma conficere, consecrare templa, aliisque omnia, ad quæ aliàs licentiam dare poterat alteri Episcopo. Ventrigl. loco cit. num. 55. qui quamvis addat de licentia Capituli: videtur tamen satis data illi ista licentia in generali Vicariatus commissione. Si enim sine speciali, ut jam dictum, commissione, potest dare eam licentiam extero Episcopo, cur non & sine illa exercere possit eadem per se, ubi ea exercendi capax est.

*Quæstio 601. Quid possit Vicarius Capituli, quoad dandas dimissorias?*

**R** Esp. Posse eas dare Vicarium, limitando tamen & extendendo hoc ipsum juxta dicta supra, ubi examinata potestas hac in re Capituli. Dare quoque eas illum posse privativè ad Capitulum, ita ut hoc per seipsum eas dare nequeat, dictum quoque supra ex Ventriglia, quamvis idem Author, ut quoque ibidem allegatum, cum Barbola teneat, citatis pro hoc pluribus, non posse Vicarium, ne quidem arctatis, vel etiam post elapsum annum vacantie eas concedere sine speciali mandato Capituli, uti & ipsum tenet Pignat. tom. 3. consult. 8. num. 3. tamen contrariari videtur quod Barbola jur. eccl. lib. 1. cap. 32. nu. 129. dicit ex Jo. And. in c. cum nullus. in fine. de temp. ordin. quod facultas dandi dimissorias sit de solitis pro jurisdictione Vicariorum. Si autem sit de solitis concedi pro jurisdictione, censetur jam eo ipso concessa hæc potestas in commissione Vicariatus, dum positivè non excipitur. Quam porro pœnam incurrat Vicarius Capitularis contra Tridentini dispositionem concedens dimissorias, & qualiter ab ea absolvi possit per successorem Episcopi, dictum satis supra, ubi etiam, quod Vicarius dare possit literas testimoniales.

*Quæstio 602. Num Vicarius Capitularis concedere possit facultatem construendi vel dotandi ecclesiam in ordine ad acquirendum jus patronatus dotanti, vel construendi?*

**R** Esp. Affirmativè. Ventriglia tom. 2. annotat. 15. §. 1. num. 61. ubi dum simpliciter ait, posse id Capitulum, & ejus Vicarium, videtur hoc modo conjunctivo significare, non egere ad hoc Vicarium speciali mandato Capituli. Quod ipsum ex eo quoque suaderi videtur, quod dare licentiam ædificandi ecclesiam spectet ad ordinariam jurisdictionem Episcopi, adeoque & Capituli, nihilque in hoc propriè intercurrat gratiæ & liberalitatis; jus verò patronatus concedatur ædificanti, vel dotanti non tam ab Episcopo, aut Capitulo, quam ab ipso jure communi. Vide dicta de hoc supra quoad Capitulum ipsum.

*Quæstio 603. Num Vicarius hic instituire possit presentatos, & confirmare electos, idque sine speciali mandato Capituli?*

1. **R** Esp. ad primum affirmativè, Ventrigl. loco cit. n. 57. plures citatos vide supra, ubi quid Capitulum